



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio Navis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

*Benedictio Thalami.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**B**enedic ✠, Domine, thalamum hunc, ut omnes, habitantes in eo, in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cælorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. *Deinde aspergatur Thalamus aquâ benedictâ.*

*Benedictio nova Navis.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**P**ropitiare, Domine, supplicationibus nostris, & benedic ✠ navem istam dexterâ tuâ sanctâ, & omnes qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noë, ambulanti in diluvio: porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro, ambulanti supra mare: & mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet & custodiat eam semper à periculis universis, cum omni-

bus



bus quæ in ea erunt: & famulos tuos, repul-  
fis aduersitatibus, portu semper optabili cur-  
suque tranquillo tuearis, transactisque ac re-  
cte perfectis negotiis omnibus, iterato tem-  
pore ad propria cum omni gaudio revocare  
digneris. *Qui vivis & regnas &c. Deinde asper-  
gat navem aquâ benedictâ.*

*Benedictio Terræ seminata.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Do-  
mini, &c.

Oremus.

**B**enedicat nos Deus, Deus noster, & ter-  
ræ nostræ ubertatem concedat; in cen-  
tuplum amplificet fructus ejus, ut viventes  
in exultatione manipulos nostros colliga-  
mus. Per Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum filium tuum. *Resp.* Amen. *Deinde asper-  
get aquâ benedictâ.*

*Benedictio communis super Fruges  
& Vineas.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Do-  
mini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Do-  
mine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et cla-  
mor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vo-  
biscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.